

v

*posito* in rebus Theologicis, ut alias prætermittam Disciplinas, maxime valere si quis divinæ hujus scientiæ imperitus negaverit, is ex tota harum Institutionum serie facile refelletur. Verum quantum prodesse potest Ontologia si accuratis definitionibus explicatur, tantum potest nocere si ambiguis laboret. Ex hac ambiguitate factum est ut de rebus etiam obviis & unicuique familiarissimis acriter disputaverint Scriptores aliqui, atque incautis Lectoribus præclarissimi studii fastidium & satietatem excitaverint. De primo cognitionum nostrarum principio, de unitate entis transcendentali, de principio individuationis, de essentia & existentia, de aliis quæstionibus plurimis quot altercationes & *logomachie*, quas facile dirimeret accurata definitio? Eadem de causa fit ut in rebus etiam levissimi vel nullius negotii mutuis injuriis sese aliquando laceffant acerbiores Philosophi, & Urbanis viris sese ridentes præbeant, ipsamque etiam Philosophiam ludibrio exponant.

Quod alteram spectat Metaphysicæ partem, *Pneumatologiam* scilicet, totam illius utilitatem, fere dicam, necessitatem fusius exponam. *Pneumatologia* di-